

cineritium, recens, ac fractu facile, intus Gummosum, mangonifatur Gummi dissolutum, radicibus alijs illito verum hæc gumositas non extrinsecus tantum, sed in fracta radice substantiâ requiritur.



CAPVT TERTIVM.

De Collectione Medicamentorum Simplicium.

TAmetsi in peregrinis Medicamentis certum collectionis tempus sciri nequit, eorū tamen color, sapor, odor, ac species iudicium nostrum subeunt, ex quibus omnibus ac singulis, collectionis debito modo & tempore facta notas desumere possumus: ea porro quæ nostris terris innascuntur, tum demum colligere ac in usum medicum congerere oportet, cum maxime vigent, aut matura sunt, vel ad propria virtutis perfectionem plus magis accedunt. Sciendum autem non eodem omnia tempore legi posse, cum alia serius, alia citius adolescant: media verò cuiusq; planta

C a

etac

etas cum iam florem emittere capit, collectione
quàm maximè est opportuna, tunc enim folia
magnitudinem suam, colorem, odoremq; sunt
adepta, ea præsertim quæ cacumini propin-
quiora nascuntur. Flores decerpēdi antequam
marcescant, aut sponte decidant: semina cum
siccari ceperint, & antequam excidant: fru-
ctus ubi maturuerint. Succus plantarum te-
nerioribus folijs ac germinantibus cauliculis
exprimendi. Radices quædam quouis fere anni
tempore, exceptà hyeme, effodi possunt, utpote
Liquiritia, *Acetosa*, *Buglossa*, *Abij*, *Rusci*, *Al-
thea*, *Cyclaminis* &c. hæ enim semper vegetæ
sunt ac succulentæ, etiam si caulis aruerit. Ali-
quæ euellendæ antequam in stolones vis planta
abeat, utpote *Gentiana*, *Polypodium*, *Sigillum
Beate Mariæ* &c. nonnullis astrorum obser-
uatio necessaria esse putatur, unde *Paonia* ra-
dices ad Epilepticos insulsius reprimendos de-
crescente Luna legendas esse docemur. Eligan-
tur autem radices benè habitæ ac benè nutri-
tiæ, integræ, non strigosæ, exuccæ, tenues, aut
rugosæ, hæ quamprimum lauentur & à radi-
culis adnatis repurgentur, atq; insuper pro sui

conditione resiccentur : alia enim integra sic-
cantur, ut Gentiana, Satyrium, Hermodacty-
lus : alia in taleolas dissecta, ut Iris, Bryo-
nia &c. alia denique exempta matrice ligno-
sa seu corde, torrefiunt, ut potè Petroselini, Apij,
& Fœniculi radices, Siccanda autem sunt non
modo herbae, verum etiam radices in loco sub-
limi perflato, non puluerulento aut infumato,
sed puro, sicco, umbroso, ad Septentrionem vel
ortum spectante, atq; hæ præsertim si Austri-
na tempestas, aut calum nubilum fuerit sæpius
versanda, ne mucosa fiant aut putrida, maxi-
mè verò ea quæ plurimum succi habent, aut
crassæ existunt. Sed & locus unde planta le-
guntur considerandus, etenim calida ex cali-
dis regionibus ac editis & siccis locis petenda,
sic Galenus Creta montes hoc casu præ cateris
pretulit: frigidiores è contra ex locis sue condi-
tioni & natura accommodis ut potè um-
brosis, opacis, ac palustribus
petantur.

C 3

Ca